



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 81. Quidam ab Ordinibus ad Navarræ Regem, Condæum Principem, & Damvillæ Ducem Deputati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.
Provinciæ Deputatis, atque Oratoribus, ac quædam duntaxat Provinciæ hunc articulum restringi, hancque conditionem apponi petebant: *dummodo hæc unia citra bellum, & pacata via fieret.*

§. LXXX.

Navarræ Regis, & Condæi Principis Deputati ad comitia.

Thuan. l. 63. Sub idem tempus Navarræ Regis, & Condæi Principis Deputati unacum quibusdam Calvinistarum Ministellis Blefas venerant, qui tamen non fuere auditi: nihilominus tamen ipsi decretis antea sancitis sese opponere audebant, caussantes, ea privilegiis, quæ ipsis in nupero edicto concessa fuissent, contraria esse, quapropter adversus hæc comitia, perinde ac si nec legitime convocata, nec celebrata essent, reclamare, suamque oppositionem divulgare attentabant: intercessit etiam Mirambellus Baro a Santonica Nobilitate delegatus: ast adversa fœderatorum pars ejus clamoribus prævalebat.

§. LXXXI.

Quidam ab Ordinibus ad Navarræ Regem, Condæum Principem, & Damvillæ Ducem deputati.

Bodin. Tho. & Avil. l. c. Ceterum quamvis Rex omni, quo posset, modo fidem suam obstringeret,

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

geret, quod solam Religionem Catholicam in Galliis tolerare vellet, prospexerat tamen, quod per ejusmodi declarationem regnum suum civili bello implicaret: cum vero huic statuto aperte sese opponere non auderet, saltem Ordinum petitionem elufurus eisdem exposuit, priusquam res decideretur, deputatos esse decernendos ad Navarræ Regem, Condæum Principem, & Damvillæ Ducem, ut hi quoque ad approbanda in hisce comitiis sancita inducerentur: porro hac tergiversatione fretus Rex sperabat, quod firmum Deputatorum consilium evertendi medium nancisci posset: igitur mandata, quæ Petro Villario Viennensi Archiepiscopo, Andreae Borbonio Rubemprato, & Menagero Francisci ærarii quæstori ad Navarræ Regem deputatis exponenda dabantur, confecerat Arnaldus Pontanus Vasatensis Episcopus: ad Condæum vero Principem ablegabatur Carolus Allibutus Augustodunensis Episcopus, quem comitari jubebantur Montmorinus, & Joannes Bodinus: cum autem hic postremus grave senium obtenderet, ac sese ob sententiam nuper latam pluribus esse suspectum causaretur, in ejus locum Petrus Ratus Pictavii Prætor suffectus est. Denique ad Damvillæ Ducem legati

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.
legati fuere Nectarius Aniciensis Episcopus, ex Senectaria familia oriundus, Renatus Rupifortius, & Toleus Advocatus. Ceterum quis hujus Legationis successus fuerit, in historiae progressu perspicietur.

§. LXXXII.

Confalonis Societas a Gregorio XIII. confirmata.

*Spond. hoc
ann. n. 16.*

Hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Gregorius XIII. Papa confirmabat sodalitatem, quæ vulgo *Confalonis* appellatur: porro ea jam Romæ circa annum Salutis nostræ millesimum ducentessimum sexagesimum quartum erecta Sodales habuit quosdam Romanos Patritios, Pœnitentes nuncupatos, quibus sanctus Bonaventura singularem precandi formam præscripserat. Datum erat hanc in rem diploma die duodecima Octobris, pluraque privilegia, ac indulgentiæ fuere concessæ huic sodalitati, cui etiam aggregata est Lugduni *Confalonis* fraternitas, cum vero Henricus III. Franciæ Rex, qui ejusmodi pietatis exercitiis mire delectabatur, non raro cujusdam Sodalis habitu indutus ibidem compareret, Regia Sodalitas appellabatur.

§. LXXXIII.